Tuba

TUMBÆ ZAMELIANÆ

in Patriâ Elbingensium Rep.

Viri Consularis,

Poëtæ Clarissimi.

QValis rorali nutricia Sirio coquente,
Segesta fœtûs admodùm stupendos
Sedes imprægnata aspergine terreas recludit;
Qvalis rosarum sibilante Florâ
Luxurians Pæsti vernantibus areis parente,
Messem benigno delicata odoram,
Effundit gremio; sic ignea mentis entheatæ
Jdéa, nec non maceratum acetô
ZAMELI cor non ingloria Pallados reperta,
Fluente venâ consecravit ævo,
Qvæ soror Enceladi resonantibus extulit sub auras
Scloppis: tribules qvæq; non lituris
Nocte-fati expugnent, neq; posthuma Solium senecta,
Obliviosis implicabit umbris.
Exsuvias qvamvis, alimonia cossium, putrentes
Busto locamus corporis saporo,
Velatiq; extrema melismate justa funerali
Sylvâ ciemus taxeâ capillos:
Flamma tamen tradux animæ, inscia sanctione flecti
Fatalitatis ferreæ, â pudendo
Pura nefas, cæles lætabitur arce siderali,
Sagaxq; virtus mortuale punctum,
Fastu alto renuens, post funeris aggeres opacum,
Nemus tremendi non stupebit Orci.
In doctos Parcæ nulla actio competit triformi,
Serum eruditô succô eunt in ævum.
Exleges naulum persolvere torpido Charonti;
Nec exsolescunt morte literarum,
Merces. Vivit adhuc Legum helluo flos Dices, seqvester
Consi, ac magistræ promicondus artis,

ZAMELUS,

ZAMELUS, fortisq; à cladibus undecunq; tutus,
Præcone gaudet posterô fruisci.
Ha! denso accurrit glomeramine gens Hyanthiarum
Obnubila alas frunde luctuosum,
Immarcessibili factô ordine colligare cippum.
Exhaustus ægrô Phœbus ejulatu
Æternam numeris ad marmora næniam coercet,
Fanoq; laudum Cedrinam perenni
Mnemosynæ adfigunt Charitēja natio tabellam.
Qvam nec vetustas tarda, edax nec imber
Mole suâ evellet, non invidiæ minax procella.
Morboniam intret famæ hirudo Momus!
Qvi genios totâ vi arrodere nititur canino
Plusqvàm innocentes dente mortuorum:
Natali adscriptum. Te flebimus usq; & usq; olympo
Inter furentes ægritudinum æstûs,
Donec constituet fata ultima Mors sibi, inq; primum
Chaos globosum mundi opus resolvet.
Antè foret tractus cumatilis Amphitritæ aristas,
Vel sidus axem Gnosiæ coronæ
Stellis intextum adspernabitur: à plagis eqvile,
Priùs citatô Cynthii resurget
Pilentô Hesperiis radiatile, & hispidosa plenum,
Nigris tumescent senticeta botris;
Qvàm nos ad campos Te extollere nubium liqventes
Filô pigebit carminis seqvaci.
Eoâ qvoties Titan face purpurabit orbem,
Pernoxq; Phœbe lumine albicanti,
Te toties cultô laudum grege fervidâ Camænûm,
Credas acerrâ largiùs beari.

Temporis

Temporis intereà poppyſmate vulnus altè adactum,
Demulceamus, Numen audientes!
Sit lymphatorum, cœleſtibus obloqui sceptis!
Mutare qvidqvid non licet, ferendum eſt!

M. BALTHASAR VOIDIUS.
Eccleſiaſt. Elbing.
Cæſ. P. L.

Epigramma Exeqviale,
ad M. B. Voidium.

ME præſente tibi, Zamelius ille, Voidi,
Occidit! Aonii lampas honora chori.
Sic nihil eſt mundo ſtabile aut durabile: Parca,
Cuncta ſub imperium raptat avara ſuum.
Curia, templa, domus, Schola ſunt viduata Patrono:
Sic Schola, Sic lugent Curia, templa, domus.
Sed ceſſent lacrumæ ceſſet dolor atq; qverela:
Qui benè vixit humo, vivit & ille Polo.
Scilicet, hanc ſedem virtus Zamela meretur,
Vnumqvemq; pium ſuſcipit ille locus.

M. Georgius Segebadius Archi-
presbyt. Hollandin: Conſiſt.
Pomez. Adſeſſ.

SI, qvoties Phœbo qvid triſtius evenit, illi
Adſiſtunt triſtes ex Helicone Deæ;

Nec

Nec citharas lætæ, nec fila ſonantia tangunt,
Et ducunt agiles non velut antè choros;
Nunc decet in triſtes citharas aptare qverelas,
Ac animo gemitûs commiſerante dare.
Funera dum celebris nunc ſunt celebranda ZAMELI,
Cuî dederat grandes Calliopæa ſonos:
Qvi non arte illâ caruit, non divite cultu,
Splendidâ qvem magni ſcripta Maronis habent,
Qvem merito ſummis adſcripſit clara Poëtis
Et dedit in ſacro culmine fama locum.
At dudum hoc faciunt, qverulas jamq; audio voces,
Audio lugubri carmina facta pede.
Ipſe, qvod eſt rarum, Parnaſſi monte relicto
Phœbus in hoc mœſto funere mœſtus adeſt.
Fallor? an & ſacras nunc funereâ Cupreſſo
Pro viridis Lauri cinxit honore comas?
Cinxit, & heu fractas geſtat citharasq; lyrasq;,
Occulit & vultûs, fata dolenda gemens.
Ipſæ etiam Charites funus comitantur, & ipſæ
Qvas penes eſt carmen plectraq; docta, Deæ.
Omnes funereas indutæ corpora veſtes,
Pallidulis omnes, ore madente, genis.
Scilicet agnoſcunt, hoc qvod moriente, ſacrati
Pieridum Montis firma columna cadat.
Atq; hinc ſcripturo cadit & procumbit humi pes,
Nec facit officium mens oneroſa ſuum.
Telluri corpus mandatur: ad æthera tendit
Spiritus: in ſcriptis poſthuma fama viget.

Michaël Mylius
Gymnaſ. Patr. Rector.

DRAMA FERALE
ZAMELIANUM,
cujus
PROLOGUS.

ZAMELIO functo si jam superesset Homerus,
Ille novenarum decus immortale sororum,
Ille Poëtarum princeps, numenq́ȝ, Melissus;
Tolleret ingentes imo de pectore planctus,
Scriberet & versûs, & non imitabile carmen,
Funderet, ingeniiq́ȝ omnes expromeret artes.
Is vitæ seriem totam, laudandaq́ȝ scripta
Laudibus efferret meritis, & divite versu
Pierides ritè in solatia firma vocaret,
Et Charites: verùm vitali lumine cassi
Cum memorent nullum, tenues ne respue Musas
Has, qvicunq́ȝ doles memoratum funus acerbum,
Hasq́ȝ pias Charites, Anser qvas inter Olores
Sangvine conjunctus sistit: jam qvalibus audi,
Si tristi tristes animo vis ponere curas,
Prima infit proprio & reliquarum nomine.

CLIO.

Novimus & memori nunc est qvoq́ȝ mente repostum
Musarum qvàm fortis erat miles, qveîs castra dicârat;
Vidimus illius noctuq́ȝ diuq́ȝ labores
Perpessos, nostri qvantus defensor honoris
Cultor & eximius fuerit ZAMELIVS ille!
Nunc minor hic luctus qvo sit, resideto sub umbrâ

Hoc primum capiens, quod jam tibi dixere, carmen,
Hinc sua quæq; dabit Musarum carmina.

CLIO.

DRUSIDOS hac vates recubat ZAMELIUS urna,
Cujus apud Doctos non morietur Honor.

EUTERPE.

Antiqvæ pietatis amans, imitator Honesti,
Et patiens morbi maximus atq; necis.

THALIA.

Nexuit huic Chloris lauru è viridante corollam,
Imposuit Clariis Delius ipse comis.

MELPOMENE.

Defuit haut ejus præstans facundia Scriptis,
Cum Latiis potuit Grajugenisq; loqvi.

TERPSICHORE.

Historiam Sacram, Gentilem jugitèr omnem,
Volvens, versatus næ polyhistor erat.

ERATO.

His ergò ingenii donis præstantibus auctus
Ardebat dignos concelebrare Viros.

POLYHYMNIA.

CONSULIS officio se multos præbuit annos
Prudentem, patriæ non sine laude suæ.

URANIA.

Munia successêre probè commissa Scholarchæ,
Pubis ubi studiis commodus usq; fuit.

CALLIOPE.

Optandum fuerat plures vixisset ut annos;
Sed Lex antiqva est: Mors sua qvemq; manet.

CLIO.

Scripsimus, ut meruit, cultori Epicedia nostro:
Gratia jam merito est non ruitura suo.

TRES CHARITES.

AGLAIA.

Nos etiam officii memores, en ἀγλαὰ δῶρα,
Vitæ immortalis cælica serta damus.

THALIA.

Et qvoniam vicit miseræ hujus tædia vitæ,
Addimus hoc ultro: Molliter ossa cubent.

EUPHROSYNE.

Hanc reqviem lætam, lætum & gratamur honorem,
Qvem duce jam CHRISTO sospite sospes habet.

APOLLO.

Illa qvies, honor hic est, cujus imagine possis
Luctum solari; hæc sola levare qveunt.

CHORUS.

Res pretiosa qvidem per se, pretiosior extat,
Cum venit â digno laude profecta Viro.

Res-

Res pretiosa qvidem per se, pretiosior audit,
Cum seqvitur dignum laude perinde Virum.
Sic pretiosa Poësis erit, pretiosior ipsa,
A gestore suo est præsidibusq; suis.
Sic qvoq; ZAMELI pretiosior indè Poësis,
Hanc qvòd & ipse ferens CONSUL honorus erat.
Qvòd tulit ejus item sublimes gloria versus,
Vincere qvi Critico qvosq; sapore qveant.
Ergò qvid in tumbâ hac postum sit, qværere noli:
Iam dixi: pretio est res pretiosa magis.
Clariùs hoc ipsum si vis pernosse Viator,
Iam dico: Trias hic nobilis *ista jacet.*
ZAMELIUS, Consul patriæ fidusq; Scholarcha,
Docta Poësis, *qvæ vix parilem inveniet;*
Vix, nisi suspicias superorum limina, qvæ jam
Tangit, ubi Vatum par meliorq; chorus.

EPILOGUS.

ZAMELI celebres extremo hoc dramate Manes
Dignor, ut hinc noster notior esset amor.
ZAMELI faciles si Musæ dona dedissent,
Ac ejus fluerent carmina fonte mihi;
Plura darem, magè digna darem. sed viribus impar
Hæc fundo imparibus verba modesta modis:
Cur ZAMELI ornem prolixo grammate Tumbam?
Exornet Tumbam cum satis ipse suam.

autore mœsto
Johanne Cramero
Gymn. Patrii ConR.

De Morte

Dn. FRID: ZAMELII.

Epigramma

ad M. Balth: Voidium.

QVænam mœsticiæ, Socer, & quæ causa doloris?
Quodnam subrepens te lamentabile carmen
Nobis surripuit? quæ tristia murmura fundis,
Hospita dum toto nos pectore turba fovemus
Gaudia? nonnè vales præ luctu exprimere vocem?
Scilicet, occubuit, quo vix tibi charior alter,
Aut magè fidus erat, jam dudùm Lipsidi amicus,
Drusidos ille suæ, rumpantur ut ilia Codris,
Clarus Philologus Vatesq; ac Optimus æqui
Interpres, longo dignus Zamelius ævo!
Ast, noli nimiò, Socer, indulgere dolori:
Felix, è mundi turbis qui scandit Olympum.

Joachimus Goldbach
Consist. Pomez. Not.

ECCLIPSIS CONSULARIS.

EXtitit Ecclipsis gravior si Drusidos arvis,
Hanc ætas verè Drusidi nostra vehit.
HOPPIADVM mirè nituit clarissima lampas
Eximium referens lucis honore decus.

Quando

Qvando Parens Vrbis lumen, columenq́ Senatus
Sparsit & insolitum trina propago jubar.
Inclyta tùm patrio cœpit Spes surgere cœlo
Drusiaco spondens commoda mille solo.
Sed qvàm fraudata est nostri spes lubrica calcli?
Tristior hanc nobis abstulit umbra diem.
Spes suppressa jacet cæcæ caligine noctis,
Qvam tulit infausto mors inopina gradu.
Vix superest, rerum qvi pondera sustinet, Atlas
E numero fratrum portio sola trium.
Qvis IVNGSCHVLZIADVM splendore superbior alter,
Qvo micuit Senior, postera gensq́ viget?
Hæc equidem densis non est adoperta tenebris.
Illa sed illunes acta subire vices.
Splendida sat patuit prudentis gloria FVCHSI,
Dona tamen minimè noctis opaca fugit.
Qvis latuisse putet proprii ceu luminis expers
STIMERI sydus, BRAVNIADVMq́ faces?
Suppetias qvondam largas tulit illud egenis,
Iuris adæquatas hæ docuêre vias.
Et tamen Heroum non parcere sveta triumphis
Occulit urna suo nomen utrumq́ sinu.
Aspice Majalem pulchrâ de fronde coronam,
Huîc etiam gemmas hostis ademit atrox.
Sentit adhuc durum gens TRESCHENBERGIA luctum,
Qvod Patrius solito desiit orbe nitor.
Optima vix tanto curata est vulnere DRVSIS,
Et major superâ sede ruina venit.
Occidit, heu! gelidæ contectus viscere terræ
COJUS Prussiaci lucida stella poli.

 Qui

Qui, ceu sorte datas rexit sapienter habenas,
Communis quærens emolumenta rei:
Illius occiduo sic tristior ingruit umbra
Funere Drusiaco perniciosa foro.
Non ego jam celebrem quondam memorabo NEANDRUM,
Fulsit in excelso lux WIDERINA *loco.*
ISENDORFFIADES *nondum planeta recessit*
Sensibus, ut radiis clarus ubiq; suis.
MORIMBERGA *suam monstrat de turre lucernam*
Stirps, quam perpetuâ laude Lycéa vehent.
Pristina MüNZERI *non mansit fama perennis,*
Horrida quod sobolem frigore pressit hyems.
Plurima præcidit SPRENGLORUM *stamina Clotho,*
Docta licet celebri PALLAS *amica Patri.*
BARTSCHIUS *occubuit, superas sed serior arces*
HENNINGUS *comes, ac* ESCIA *luna petît.*
Amplior haud dubiè foret enumeranda supellex
E LANGHAGELIA WILMIADA*ve domo.*
BöTCHERUS *titulis, fidei splendore coruscat*
RIDIUS, *& plures Drusis opima tulit.*
Parnassi solitus lustrare cacumina montis
Phœbus in Arctoâ contumulatur humo.
Deserit ecce polos cæcas & migrat ad umbras
ZAMELIUS *Clarii Duxq; Paterq; chori.*
Scilicèt ore refert variam variabile lunam,
Qvicquid in Urbe latet, qvicquid in Orbe patet.
Invida mox diti, mox retia tendit egenti
Parca, feram subitò mors movet atra manum.
Iam, capit hinc querulum si Curia mœsta dolorem,
Patronum studii si Schola mœsta dolet.

Tu

Tu meritò lachrymas fundis mœstissima Conjux,
Et teneras Soboles irrigat imbre genas.
Sed modus est: præstat tristes componere vultûs,
Ac animo firmæ fulcra fovere spei:
Felix, qvem miseri variis Ecclipsibus ævi
Mitior exemtum Numinis aura tegit.
Per varios casûs, per mille pericula mundi
Tendimus in cœlum, cum pia fata vocant.

Dn. Avunculo & Patrono
desideratissimo adject.
à
Raphaële Schvvartzio
Gymn. Patrii Docente.

OCcidit! Exsequias Magni celebrate Zamelî!
Occidit! Elbingæ gloria Magna suæ.
Ipse genas mœsto, non umquā mœstior, imbre
Irrigo, plango ardens pectus amore Viri.
Indica non potuit lacrymas effundere plureis
Sponsa, maritaleis cùm stetit ante rogos.
Aspera Mors! qvam non precibus facundus Apollo
Flexit, & Aonidum plùs dolitura Cohors.
An qvia Phœbœjâ Tibi multos hactenùs Arte
Eripuit, pœnam, Mors truculenta, luit?

Zameliiq;

Zameliiq; rapis (nec enim jus majus habebas)
Ultrici corpus, Diva severa, manu?
Plangite nunc, Musæ, funus morientis Alumni,
Cui similem jam vix Prussia culta capit!
Et toties docto repetiti pollice nervi,
Dum canit æternâ carmina dia Lyrâ!
Plangite, quas cecinit, sylvæ, nemorumq; recessus,
Qvicquid & æternum tamta Camæna facit!
Zoile, tu solus gaude: nec enim ilia rumpet
Fœda tibi sua post funera Zamelius.

Hoc qvidquid est deproperatæ imitationis, ex svavissimi mei Barclaī. lib. secundo Argen. Metr. 5. desumtæ, lubens, sed lugens sacro.

Joannes Ernestus Rautenstein.

MOrtis avara manus! quàm nulli parcit Honori,
Eloquio, Musæ, Viribus, ingenio!
Jlle suæ patriæ palmaria fama, Zamelus,
Cæsareo Lauri munere jura tenens,
Druside non tantùm, verùm & super æthera clarus,
Philologâ, Criticâ, Juris & arte potens,
Qvem penes & nostri fuerat cynosura Lycei,
Et cui dulce sui Nominis omen erat;

Nestoris

Nestoris ille, inquam, dignus Zamelius ævo,
Extremum vitæ clausit in orbe diem.
Eheu! terrifici quanta inclementia leti est,
Ordinis atq; ævi funera mixta trahens!
Sed qvid post fatum lacrumas fundamus inanes?
Zamelus moritur: cætera morte vacant:
Inuitis etenim Parcis sua gloria vivit,
Obscurâ jaceat vile cadaver humo!

ab

Henr. Drevel:

script.

Ad M. Balth: Voidium, &c.
De obitu
Dn. FRID: ZAMELII &c.
Epigramma.

QVod scribis, doleo, fautor venerande, VOIDI,
Jmò vix siccis oculis id lugeo tecum.
Qvod, qui debuerat vixisse diutiùs, ille
Juris & Aoniæ cultor celeberrimus artis,

De

De qvo multa brevis dico: Optimus ille Virorum,
Zamelus moritur. Sic fatum parcere nescit!
Annon miremur? Sed non rimemur ademta:
Scilicèt, hæc vitæ meta est, hûc tendimus omnes!
Sic messor flores: Sic Mors nos demetet olìm.
Sed Mihi Te servet DEUS, & vim viribus addat,
Zameliq; Domûs hanc sarciat ille ruinam,
Quò pater in Natis vivat seroq; Nepote!

Debitæ pietatis & gratæ Memoriæ ergò, Maldeitô misit

Jac. Moller Quedlinburgo-Saxo.

Ad piè Defunctum
& Cos. & Poët. Opt.

SAlve, Zameli! nove civis & incola cæli,
Et nostri extremum hoc pignus amoris habe;
Corporis exsuvias quamvis humus invida celet,
Non tamen & dotes occulit illa tuas.
Simplicitas, Probitas, Doctrina, Modestia, Candor,
Non poterunt tumbâ contumulante tegi.
Felix, qui sic est admotus ad ultima Fati,
Duret ut æternos illius urna dies!

Samuel Freundt.